

adhibet, ita ad intelligendum & judicandum certè ratione mea, unicò scilicet intelligendi judicandique instrumentò, utitur. Præterea quemadmodum quisque etiam Sacra oculis legere auribusque audire potest sine Spiritus sancti interiore ope, aut peculiari oculorum auriumque illustratione: ita non minùs intelligere judicareque eadem Sacra licet rationis sanæ beneficiò, etiam si nondum accesserit Spiritus S. illustratio. Præsertim in iis, quæ ad salutem simpliciter necessaria sunt. Et cap. 7. Ad S. Literarum auctoritatem, & genuinam mentem dignoscendam principia etiam illa, quæ Philosophica appellant, esse advocanda. Et paulò post, Hæc & similia, quæ nemini sano ignota sunt, statuendum est esse fundamenta cognitionis nostræ, quoad auctoritatem S. Literarum, & quoad verum earum sensum. Ac iterum postea, Quæ ad salutem sunt necessaria ex Scripturis nullò negotiò dijudicabit; modò diligentiam adhibeat, & ab affectibus, & præjudicatis opinionibus sibi imponi minimè patiatur. Maximè verò si & Spiritus S. donum à Deò petat. Quid quòd principiorum istorum ope etiam is, qui S. Literas vel legere non potest, vel nunquam vidit, vel exstare nescit; modò ab aliò aliquò summam Religionis Christianæ audiat, tantum discere possit, quantum ei ad salutem sit necessarium. Hæc scriptor ille Anonymus. At prorsus omisso Spiritu sanctò solius Rationis hòc in negotiò meminit J. Slichtingius lib. de S. S. Trinitate adversus Balt. Meisnerum pag. 67. hunc in modum. *Vel agitur de rebus clarissimis verbis in Scripturâ consignatis & expressis, adeò ut de eorum sensu nemo sanæ mentis dubitare possit: vel agitur de rebus obscuris, de quibus meritò dubitari queat, an in Scripturâ significatæ vel non significatæ legantur. Si de illis agatur concedimus hanc assertionem, Scripturam S. esse normam fidei & morum perfectissimam; idque vel imprimis idcirco, quòd certissimum sit Scripturam nihil continere, quod manifestæ rationi repugnet, seu contradictionem veram involvat. Si verò de rebus agatur obscuris, quivis videt sine ratione rem non posse confici; quæ tamen non in id adhibenda est, quasi Scripturæ aliquid affirmanti vel neganti aliquid opponi posset, sed tantum ad declarandum, an quidpiam Scriptura contineat: si continere constet, quicquid tandem ratio contradicat, falli eam necesse est. Et paulò post, Neque enim nos ad rationem recurrimus, quoties Scriptura contrarium apertè testatur: sed quoties de Scripturæ mente dubitatur. Ac deinde, Rationi non competunt partes judiciaræ fidei, si de Scripturæ mente jam constet. Sed cum dubitatur, an rem eò pacto Scriptura definierit, nec ne, rationem velle rejicere, quid aliud est, quàm in tenebris lucem extinguere, & oculos insuper sibi eruere? Argumenta Meisneri vera, quoties ratio Scripturæ, aut Spiritui S. in hominibus aut Scripturis loquenti sese opponit, illique contradicit, non verò cum nos in percipiendâ Scripturæ, aut Spiritus S. mente juvat ac dirigit. Idem eòdem lib. pag. 79. Deinde nunquam ad rationis iudicium confugimus, quoties*

de